



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 13. Feminæ cur in suo sexu sint resurrecturæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

*state eris, & ipse dominabitur tui.* Accedit, quòd sexus fæmineus sit accidens, & quædam hominis imperfectio, in resurrectione verò omnis imperfectio tolletur à iustis. Ac fanè, vt Aristoteles docet, femina est *mas occasionatus*, atque ex defectu virtutis formatiuæ in femine (quæ non potest perducere materiam concepti ad virilem perfectionem) præter intentionem naturæ inductus. Si ergo in resurrectione saluandorum omnis error tolletur, videtur concedendum, sexum muliebrem non resurrecturum. Nam si natura, quæ perfectum intendit, cum marem, quasi hominem perfectum vellet producere, feminam pro mare producens errauit, corrigendus erit utique error ille in beatis, ne saltem ex hac parte miseri sint. Denique ad quid erit diuersitas sexus, si *in resurrectione neq; nubent, neq; nubentur?* Hæc pro ista sententia afferri possunt.

§. XIII.

*Femina cur in suo sexu sint resurrectura?*

Sed luculentus, & in sexum femineum valde iniurius est error, dicere, vel credere, feminas in suo sexu non resurrecturas.

Cuius

Aristot.  
lib. 2. de  
Generat.  
animal.  
cap. 3.

S. Aug.  
lib. 22. de  
ciuit. c. 17.  
& seqq.  
Tertull.  
lib. de re-  
surrect.  
cap. 60.  
S. Hiero-  
nym. ep.  
61. ad  
Pamma-  
chium.  
S. Thom.  
in suppl. q.  
81. a. 3.  
Scholast.  
in 4. d. 44.  
Gen. 1. 27.

Cuius è diametro contrarium, contra erro-  
res Ioannis Hierosolymitani, expressè  
Sanctus Augustinus, Tertullianus, S. Hie-  
ronymus, D. Thomas, & alij scholastici  
communiter tradiderunt. Augustini ver-  
ba sunt: *Meliùs sapere videntur, qui utrumq;  
sexum resurrecturum esse non dubitant.* Vtiq;  
enim Deus, quod in homine fecit, cum  
primò eum conderet, id in resurrectione  
quoque reparabit. Quia igitur *masculum  
& feminam creauit eos*, initio mundi; in re-  
surrectione quoque masculum & feminam  
reproducet. Adde, quòd tunc, vt idem  
numero corpus resurgat, necesse sit, præci-  
pua saltem accidentia, & easdem conditio-  
nes indiuiduantes restaurari, inter quas  
non minima est, sexus certus, & determi-  
natus. Quare diuersis, diuersus sua natura  
debetur sexus. Quæ ipsa diuersitas ad spe-  
ciei perfectionem pertinet. Ita enim il-  
lius diuersi gradus per diuersitatem sexus  
implentur. Quo semel statuto, facile est,  
ad argumenta obiecta respondere.

## §. XIV.

*Solutio argumentorum contra sexum femi-  
neum obiectorum.*

I. Igitur cum Apostolus ait, nos in  
*perfe.*